

# **Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen (Ed. Wartmann) Nr. 735**

† In nomine sanctae et individuae trinitatis Hludowicus divina favente clementia rex. Si pro terrenarum rerum commodo benivolentiae nostrae munus exhibemus, dignum et iustum est, ut multo magis pro caelestium acquisitione bona a Deo nobis concessa copiosius largiamur. Unde noverint omnes fideles nostri, praesentes scilicet ac futuri, quod venerabilis Salomon episcopus et abba monasterii sancti Galli necnon et Arnolt comes nostram precati sunt serenitatem, quatenus ob mercedem animae nostrae iuxta morem decessorum nostrorum eidem monasterio aliquod adiumentum conferre curaremus; quorum petitionibus divino ducti amore statim annuere cupientes ita fieri decrevimus. Et dedimus ad supramemoratum monasterium, scilicet ad sustentacula monachorum ibidem Deo famulantium, quasdam res iuris nostri in pago Munigisingeshuntare in comitatu predicti Arnolfi in locis nuncupatis Taffo et Ecchenhusa et Egilinga, quicquid in his hactenus ad regiam ditionem pertinebat et posthaec ad comitum usum cedebat, in adquisitis vel acquirendis, hoc est in ecclesia et ceteris rebus omnibus, tam domibus, quam aliis aedificiis, mancipiis, terris, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, tributis omnibus et quicquid regiae potestatis in prefatis locis dicebatur seu nominabatur, exceptis rebus, quas Hilterich ministerialis predicti comitis in eisdem locis tunc habere videbatur. iussimus quidem hoc praesens inde conscribi preceptum, per quod decernimus et iubemus, ut suprascriptae largitionis nostrae causae ab hodierna die et deinceps sub iure et potestate prelibati monasterii et rectorum eius integriter per aevum consistant, quatinus famuli Dei ibidem consistentes Domini misericordiam pro nobis semper implorent. Et ut hoc verius credatur ac diligentius observetur, manu nostra subdus id roborantes anulo nostro iussimus insigniri. Signum domni Hludowici M piissimi regis. Ernustus cancellarius ad vicem Theotmari archicappellani recognovit et subscrispsit. Data XVII kal. iul., anno incarnationis Domini DCCCCIII, inductione VII, anno autem regni domni Hludowici V. Actum Ingilheim in Dei nomine feliciter. Amen.